

esse indifferens ad deponendam jurato veritatem, prout in sua conscientia repererit. Speculator tit. *de Teste*. § 1. n. 22. Farinacius loc. cit. n. 488. apud quem nonnulla alia huc spectantia.

217. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec obstant rationes dubitandi n. 211. in contrarium adductæ. Non prima, quia, licet nonnulli canones expresse faciant mentionem tantummodo de clericis, utpote de quorum recto gubernio ex professo loquuntur; nihilominus alia jura indistincte admittunt testes de universitate, ut dictum in conclusione. Accedit, quod etiam laici præsumantur boni et veraces, donec probetur contrarium. Ad alteram negatur, testes de universitate dicere testimonium in causa propria, quando testificantur in causa universitatis: quia universitatis sunt, non singulorum quæ sunt communia, ut jam dictum. Ad tertiam pariter negatur, membra alicujus universitatis esse proprie domesticos ejus: unde etiam jus satis aperte ipsorum testimonium pro causis ad universitatem spectantibus admittit.

218. *Proponitur, ac resolvitur alia notabilis instantia.* — Quod si urgeas. Ex causa universitatis, etiam membra illius commodum reportant; ergo adhuc videntur testificari in causa propria. Resp. neg. consequent. Tum ob rationem proxime dictam, quia videlicet ea quæ sunt communia, non sunt singulorum: ac proinde, etsi membra universitatis emolumentum aliquod exinde reportent (quod ipsum est incertum, consideratis aliis necessitatibus, atque expensis sæpe sæpius per universitatem faciendis) illud non percipiunt nomine proprio, sed nomine universitatis, cujus sunt membra; tum quia ejusmodi commodum non obvenit directe, ac principaliter singulis membris dictæ universitatis (alioquin secus esset dicendum, juxta conclusionem proxime ponendam) sed solummodo indirecte, secundario et consecutive, ac plerumque non nisi post longum tractum temporis. Hoc autem est per accidens nec impedit eorumdem testimonium: prout in simili patet in legatariis, qui admittuntur in testes circa validitatem testamenti; haud obstante quod exinde aliquod lucrum, sive legatum sibi relictum consequantur. § *Legatariis*. Instit. *de Testament.* estque jam supra n. 196. dictum.

219. *Testes de universitate possunt repelli in causis illis, ubi commodum inde resultans, tangit singulos eorum. Ut fit in lite super nemore,*

*vel pascuis, unde singuli de communitate possunt ligna cedere, vel animalia sua pascere.* — Resp. II. Nihilominus proxime data conclusio procedit solum in illis causis, in quibus agitur de negotio, seu commodo et incommodo totius universitatis: secus dicendum, quando agitur de commodo universitatis, quod sigillatim spectat ad utilitatem singulorum; hoc est, ubi commodum, vel (si causa perdat) damnum inde resultans tangit singulos de universitate in particulari; quia tunc hi possunt repelli, veluti testes in propria causa, cum in effectu ageretur de commodo, vel damno singulorum. Sic contingit, quando communitas habet nemora, vel pascua, in quibus quilibet incolarum potest ligna cedere, vel animalia sua mittere ad pascendum: quia tunc orta lite super eisdem, repellerentur singuli de tali communitate a ferendo testimonio; eo quod lucrum, vel damnum inde obveniret singulis de communitate in particulari, cum non amplius causa perditæ possent ibi ligna cedere, vel animalia sua pascere. Ita Felinus in c. *Insuper*. n. 5. h. t.; Jason l. *Sed si hac lege*. § *Patronum*. n. 7. ff. *De in jus vocand.*; Menochius cit. cas. 106. n. 13; Covarruvias *Practic. quæst.* cap. XVIII. n. 4, hanc appellans communem opinionem; Pirhing h. t. n. 102; Farinacius d. quæst. 60. n. 495. et seqq. citans complures alios: quamvis Abbas in c. *Insuper*. n. 2. § *Primum membrum*. h. t. de veritate allatorum exemplorum dubitet. Licet enim (inquit) aliqua utilitas obveniat singulis, nihilominus causa est universitatis, et universitas potest commutare usum v. g. nemoris, vel aliter de eo disponere, etc.

220. *Vel quando agitur de prædiis, aut vinea, cujus proprietas est universitatis, ususfructus autem singulorum.* — Similiter quando agitur de prædio, vel vinea, aut hujusmodi, cujus proprietas quidem spectat ad universitatem, sed ususfructus aut utilitas ejus pertinet ad singulos (ut puta, quia singuli de communitate vivunt de fructibus illius) tunc isti non possunt esse testes idonei in tali causa: nam ratione ususfructus, seu utilitatis in singulos provenientis, censetur causa illa spectare ad singulos de universitate. Baldus c. *Cum nuntius*. n. 1. h. t.; Felinus in d. c. *Insuper*. n. 5. eod.; Farinacius cit. quæst. 60. n. 499. et 504; Pirhing d. n. 102. et alii.

221. *Aut quando lite perditæ, in singulos de universitate venit imponenda certa collecta.* —

Rursus testes de universitate non censentur idonei, quando agitur de lite, in qua si communitas succumbit, venit in singulos imponenda certa collecta: tunc enim talis causa censetur tangere singulos de universitate, sicque hi non essent admittendi ad testificandum. Felinus c. *Insuper*. n. 6. et ibi Baldus n. 3. h. t.; Menochius d. cas. 106. n. 15; Mascardus, *de Probat.* concl. 1422, n. 5. et 6; Farinacius cit. quæst. 60. n. 505. et 507. istud intelligens cum aliis, quando certum foret, collectam singulis de communitate esse imponendam: alias secus.

222. *Idem dicendum in causis civilibus arduis, et magni præjudicii.* — Resp. III. Insuper data conclusio est limitanda in causis civilibus arduis, et magni præjudicii. Hæ enim æquiparantur criminalibus, ut dictum supra, § 3. n. 82. ac proinde, sicut testes de universitate in causa criminali contra extraneos non admittuntur, juxta dicta n. 209. et 210. ita nec in causa civili multum ardua, et magni præjudicii. Accedit, quod testis repellatur ob magnam affectionem quam gerit ad rem litigiosam, non minus ac consanguineus. Felinus d. c. *Insuper*. n. 3. et 11. h. t.; Baldus in c. *Cum nuntius*. n. 1. eod.; Covarruvias *Pract. quæst.* cap. XVI. n. 4. Atqui in re civili ardua, magnique præjudicii suæ universitati imminentis, ut puta, ubi agitur de magno honore, commodo, vel jurisdictione ipsius, præsumi potest magna affectio ex parte illius testis propter annexam commoditatem in singulos redundaturam; haud obstante, quod res immediate spectet ad universitatem, et non ad singula membra ejus. Ita Felinus, Baldus, Covarruvias, ubi supra; Mascardus *de Probation.* concl. 1422. 18; Farinacius d. quæst. 60. n. 521. et 522. allegans plurimos alios.

223. *Testes de universitate, non sint admittendi generaliter, vel dumtaxat in subsidium. Ratio dubitandi, ac istud posterius tenendi.* — Queritur. IV. Num testes de universitate sint generaliter, seu directe admittendi ad testificandum in negotiis Ecclesiæ, vel universitatis suæ, vel tantum in defectum aliarum probationum; Resp. hanc esse specialem difficultatem, in ejusque resolutione variare doctores. Et quidem Speculator *de Teste*, § 1. n. 22; Felinus c. *Cum nuntius*. n. 2. h. t.; Mascardus concl. 318. n. 2; Engel. h. t. n. 39. pluresque alii censent, eos admittendos tantum esse in defectum aliorum testium. Idque probant per textum in c. *Etsi Christus*.

§ fin. *de Jurejurand.* ubi Papa monachis indulget, « ut in causis sui monasterii (deficientibus aliis testibus) pro ipso perhibere possent testimonium veritati. » Nota ly, « deficientibus aliis testibus: » cui textui sane absque divinatione (ait Engel.) responderi non potest. Accedit quod præcipua ratio, cur testes de communitate admittantur, ea sit, quod plerumque homines extranei rerum ad communitatem spectantium veram notitiam non habeant, arg. can. *Super prudentia*, 14. q. 2. Atqui hæc ratio cessat, quando adant extranei veram notitiam habentes quidcirco testes esse possunt; ergo. Concordat can. *Quamquam*, ead. 14. q. 2. ubi, præsertim clerici in causis civilibus solum admittuntur ad testificandum in subsidium; seu, « ubi nullæ idoneæ sæcularium inveniuntur personæ: ne veritas occultetur, et malus ut bonus aestimetur, » prout loquitur textus ibidem. Verum his non obstantibus.

224. *Ipsi sunt admittendi generaliter, seu directe, et non tantum in subsidium.* — Resp. I. Testes de universitate admittuntur non solum in subsidium, seu quando veritas aliter haberi non potest (in quo casu nullus negat, eos esse admittendos) sed etiam generaliter, ac pro illo quoque casu, quo adsunt alii testes: sive, ut loquitur Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 106. n. 8. testes ejusmodi admittuntur proprie ac directe, et non tantum in subsidium. Ita Abbas c. *Insuper*. n. 2. vers. *An autem admittantur*. h. t. citans Hostiensem, et doctores communiter. Felinus d. c. *Insuper*. n. 7. ex professo rejiciens contrariam opinionem Speculatoris; Menochius ubi supra; Farinacius cit. quæst. 60. n. 474. et seqq. citans plures alios pro utraque sententia; ac n. 478. pro concordia subjungens, quod quidem in utroque casu, videlicet tam in subsidium, quam alias, testes de universitate admittantur, sed quando admittuntur in subsidium, tunc sint testes omni exceptione majores: secus, si non in subsidium, de quo infra concl. seq.

225. *Idque probatur, Naturale vitium est negligere quod communiter possidetur.* — Prima pars conclusionis probatur ex eo: Quia testes de universitate nullo jure excluduntur (uti patebit ex solutione contrariorum) ergo hoc ipso sunt admittendi, et quidem generaliter, ac directe, per textum in l. 1. ff. *de Testib.* Deinde in sæpe cit. c. *Insuper*. 6. et c. *Cum nuntius*. 12. h. t. et can. *Super prudentia*. 14. q. 2. indistincte admittuntur

testes hujusmodi in causa universitatis, seu Ecclesiae suae: simulque ratio n. 213. allata, seu quod ejusmodi « bona sint universitatis, non singulorum, » urget generaliter, ac indistincte; unde etiam indistincte testes de universitate sunt admittendi, et non tantummodo in subsidium. Accedit, verisimile non esse, quod quis velit pejerare propter jura universitatis: « Naturale quippe vitium est negligere quod communiter possidetur; » ut dicitur l. *Memimus*. C. « Quando et quibus quarta pars, » etc. lib. X.

226. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Nec urgent rationes n. 223. in contrarium allatae. Nam in c. *Etsi Christus. de Jurejurand.* sermo est de juramento, quod monachi praestare timebant, ob verba Christi *Matth. v. 34.* dicentis: *Nolite jurare omnino.* Unde Papa, cum praemisisset, licite jurari pro re vera, atque exigente necessitate postea monachis dat licentiam jurandi, declarando per illa verba, « Deficientibus aliis testibus, » hinc intervenire veram necessitatem jurandi: per hoc tamen non negavit, quin etiam extra talem casum necessitatis possint membra communitalis in hujus negotiis testimonium ferre. Quinimo, cum istud jura proxime allegata indistincte concedant, in quod cit. c. *Etsi Christus*, habetur, est intelligendum juxta contingentiam facti, de quo ibidem fit mentio: vel, conformiter caeteris juribus, dictam illud oportet supplere per ly « maxime deficientibus aliis testibus; » prout supplendum censet Abbas d. c. *Etsi Christus*. n. 4. de *Jurejurand.* citans Hostiensem, et Speculator, tit. de *Teste*. § 1. n. 22.

227. *Solvuntur rationes dubitandi.* — Ad alterum patet ex dictis: nam allata ratio non est adaequata: imo praecipua ratio, cur quis possit esse testis in causa universitatis, non ea est, quia jus universitatis non est jus singulorum. Ad can. *Quamquam*. 14. q. 2. patet ex contextu verborum, ibi solum prohiberi, ne clerici in causis civilibus, seu instrumentis laicorum, extra casum necessitatis, testimonium ferant; de quo jam ex professo dictum est supra § 6. n. 182. et seqq. Ex hoc tamen nihil sequitur contra conclusionem.

228. *Testes de universitate, quando admittuntur in subsidium, plene probant.* — Resp. II. Etsi testes de universitate plene probent, quando admittuntur in subsidium, eo quod per alios veritas haberi non possit: nihilominus extra casum defectus aliarum proba-

tionum probabilis est: et magis inter doctores receptum, quod testes de universitate non sint omni exceptione majores, sed minor fides ipsis sit adhibenda; idque pro qualitate causae, et personarum, judicis arbitrio sit relinquendum. Prior pars est Abbatis cit. *Insuper*. n. 2. vers. *Ego putarem*. h. t. et Farinacii d. quaest. 60. n. 478. et 480. sub data distinctione concordantis extremas doctorum sententias. Fundamentum hujus desumitur ex c. *Tertio loco*. §. de *Probatione*, ubi testes de universitate admittuntur ad reprobandum instrumentum in casu, quo agebatur de gestis in capitulo, sicque alii testes haberi non poterant. Atqui ad reprobandum instrumentum requiruntur testes legales, et omni exceptione majores. Glossa fin. in cit. c. *Tertio loco*; Bartolus in l. 1. § *Si quis neget*. vers. « Quero, quid si in instrumento. » ff. *Quomodo admodum testament. aperiant.*; Felinus c. *Cum Joannes*. n. 44. de *Fide instrument.* istud inter alia probans ex l. *Optimam*. § fin. c. de *Contrahend. stipulat.*; Menochius de *Arbitrar. judic.* cas. 105. n. 33; Mascardus, quaest. 6. proem. de *Probat.* n. 68. citans alios.

229. *Alias non sunt exceptione majores, sed minor fides ipsis est adhibenda, judicis arbitrio.* — Altera pars est quidem contra Felinum c. *Insuper*. n. 2. h. t.; Menochius de *Arbitrar. judic.* cas. 106. n. 8; Alexandrum consil. 68. n. 14. vol. 2. et nonnullos alios a Farinacio d. quaest. 60, n. 537. citatos, qui indistincte volunt, testes de universitate plene probare in causis ejusdem. Verum aut hi doctores sunt benigne interpretandi, quod loquantur in casu defectus aliarum probationum, juxta proxime dicta: aut iisdem relictis tenenda est sententia datae conclusionis, quae est aequitati magis consentanea, magisque recepta inter doctores; uti videre est apud Mascardum de *Probat.* concl. 1422. n. 15. et seqq. et Farinacius loc. cit. n. 536. et 538. Ratio est quia, licet agatur de negotio universitatis, nihilominus ob naturalem affectionem, quam membra universitatis erga eam gerere consueverunt ratione utilitatis inde sibi quoquo modo obvenientis, non carent omni suspitione; sicque non mirum, quod caeteris paribus minus eis credatur, ac crederetur, si istae etiam suspitione affectionis carerent. Quamquam in casibus particularibus judicis arbitrio relinquendum sit, quantam fidem mereantur testes de universitate in hujus favore deponentes; uti notarunt Menochius cit. cas. 106. n. 9. et 11; Covarruvias *Pract.*

quaest. cap. 18. n. 4; Mascardus loc. cit. n. 19; Farinacius n. 538. allegans communem.

230. *Testibus de universitate minus creditur in concursu aliorum testium ipsis contradicentium.* — Infertur proinde, quod licet testes de universitate admittantur ad testificandum in ejus favorem; in concursu tamen aliorum testium ipsis contradicentium, seu ab altera parte productorum, et contrarium deponentium, minus illis quam istis credatur: nam illi laborant aliquali suspitione affectionis, non isti; in pari autem causa merito major fides est adhibenda illis, qui etiam hac qualicali suspitione carent. Abbas cit. c. *Insuper*. n. 2. vers. *Ego putarem*. h. t.; Menochius d. cas. 106. n. 10; Mascardus cit. concl. 1422. n. 17; Farinacius ubi supra, n. 534. allegans alios.

## § VIII.

DE NUMERO TESTIUM AD LEGITIMAM PROBATIONEM REQUISITORUM; ET AN ALIQUANDO SUFFICIAT TESTIMONIUM UNIUS?

231. *Regula est, ad legitimam probationem requiri, et sufficere duos testes.* — Queritur I. Quot testes requirantur ad legitimam probationem? Resp. I. Regula est, quod in qualibet causa ad legitimam probationem, plenamque fidem faciendam, requirantur et sufficiant duo testes probatae vitae, omnique exceptione majores; nisi expresse per legem, seu canonem plures in aliqua causa requirantur. Ita Speculator, tit. de *Teste*. § *Restat*. n. 1; Farinacius quaest. 63. de *Testib.*, n. 232. et communis. Idque patet ex l. *Ubi numerus*. ff. h. t. quae canonizata est in can. *Si testes*. § *Ubi numerus*. 4. q. 3. quo utroque in loco dicitur: « Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt. » Concordat textus in c. *Licet universis*. 23. h. t. ubi pontifex inquit: « Mandamus, quatenus si inter vos emerit quaestio, non minus, quam duorum, vel trium virorum, qui sint probatae vitae, et fidelis conversationis, testimonium admittatis juxta illud dominicum (*Matth.*, xviii, 16; et *Deut.*, xvii, 6, et xix, 15.) *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum.* Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur. » Simile quid habetur c. *In omni*. 4. et c. *Veniens*. 10. h. t. cum concordantiis. Accedit ratio: quia ma-

nifestum periculum subest, ne si unicus homo ad ferendum testimonium admitteretur, is sinistro affectu amoris, odii, timoris, aut hujusmodi perversus, falsum testimonium diceret: duo tamen non tam facile pervertuntur, saltem ut per omnia conformiter loquantur, et falsitas se non prodant, uti patet in duobus illis senibus, quos ex propriis verbis falsitatis convictos fuisse legitur. *Daniel.*, xiii, 1 et seqq.

232. *Et quidem in qualibet causa, tam personali quam ecclesiastica, imo et criminali.* — Atque data regula procedit in qualibet causa, tam profana videlicet, quam ecclesiastica. Siquidem regulae inhærendum est, donec de fallentia constet, seu per adversarium probetur, cur in illo casu regula non loquatur. Glossa in rubric. de *Reg. jur.* in 6. Quinimo data conclusio procedit nedum in causis civilibus, sed etiam in criminalibus: adeo, ut duorum legitimum, et omni exceptione majorum testium dispositio, sufficiat ad convincendum, et condemnandum. Farinacius cit. quaest. 63. de *Testib.* n. 233. Julius Clarus lib. V. *Pract. Criminal.* § fin. quaest. 66. n. 5; Mascardus de *Probat.* concl. 462. n. 1. et alii. Idque probat textus can. *Nullam*. § *Sed hoc*. 2. q. 5. illis verbis: « Quorum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium testium quilibet jure convinci, et damnari poterit. »

233. *Dummodo illi duo testes sint omni exceptione majores.* — Dicitur notanter in conclusione, « duo testes omni exceptione majores, » sive, ut loquitur allegatus textus, « de quorum assertione, nulla dubitatio nasci poterit. » Secus enim dicendum de aliis testibus minus idoneis, et quibus aliqua exceptio jure opponi potest, et opponitur: nam in causis criminalibus criminaliter motis requiruntur testes omni exceptione majores, omnique suspitione, et macula manifesta carentes, cap. 1. de *Exceptione*. et can. *Testes*. 2. q. 7; Mascardus concl. 460. et 7. Quod ipsum procedit in causis civilibus: nam etiam in his regulariter requiruntur, ac sufficiunt, duo testes omni exceptione majores.

234. *Testium numerus potest supplere ipsorum defectum in causis civilibus.* — Additur « regulariter, » ob nonnullas limitationes, seu fallentias in progressu adducendas. Quod ipsum, loquendo de testibus omni exceptione majoribus, est limitandum, nisi forsitan tes-